

Alte Drucke

**Rerum praeclare || GESTARVM, INTRA, ET EX-||TRA MOENIA
MVNITISSIMAE CI-||uitatis Viennensis, pedestri & equestri
|| proelio, terra & aqua, elapso ...**

Wien, 1561

VD16 ZV 27208

Quomodo circus ad ludos EQVESTRES CELEbrandos à Generosissimo Comite
à Luna apparatus fuerit.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permission, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-149595

Quomodo circus ad ludos

EQUESTRES CELE-

brandos à Generosissimo Co-

mite à Luna apparatus

fuerit,



Vigesimo tertio Iunij, Hyppomachia seu equitum certamen exhibitum est, ante Ciuitatem Viennensem in campo aperto ac plano, in insula inferiori nomine vltra pontem lanionium, quam ipsi palæstræ in ludorum martialium promulgatis literis campum colosseum Martis & Veneris appellarunt. Nam quemmadmodum Rhodi erectus fuit colossus in honorem solis, ita hic et animi & corporis dotibus, clarissimus Don Clau: Ferdi: de quinones Comes à Luna in honorem Martis & Veneris, pulcherrimo quodam inuento, erigere non dubitauit. Hæc area varijs virentibus arbusculis exornata, vltra pontem lanionium ad dexteram et infra Telonium fuit. Hoc in loco prænominatus nobilissimus Comes vna cum tribus (quorum nomina sequentur) Agonothe- tis designauit aream, quæ patebat in longitudinem vlnarum sexaginta & in latitudinem viginti sex. Hæc circumsepta erat varijs præcrassis lignis ad innitendum accommodis, ijs adiunctæ erant Pini frondentes, octo pedum spacio inter se distantes, conspicuæ nobilissimi Comitæ à Luna insignibus in tela depictis: ex ramis arborum dependebant bractæ auri speciem referentes, quæ crebris repercussæ solis radijs fulgebant, ac mirum in modum palæstram exornabant. Circus hic quanquam ante hoc tempus foueis ac collibus fuerit plenus, tamen industria quorundam planus atq; ad decertandum aptissimus redditus est: arboreſq; quæ impedimento esse potuissent extirpatæ, ac eorum in loco arena foueas compleuit. Ad dexterum palæstræ latus, in media quodammodo parte erectum fuit theatrum, longum, latum et peramplum, per-

Q iij

mediũ

medium auleis varijsq; peristromatibus diuisum. Huius una pars designata Cæsareæ Maiest: Principibus, Nobilibus, aulicisq; et iudicibus circum spectans, latos ac amplos in palæstram descendentes gradus habebat, quibus multi instantes, quid in area ageretur commodè videre poterant: Altera ciuitatē prospiciens, oblita erat scamnis & mensis, ad coenam sumēdam appositis. Theatrum hoc, intus et foris exornatum fuit varij coloris tapetis, & vt Domus tripudiatoria in aulæ munimento extructa, omnibus ijs quę singulari quadam voluptate oculos afficere poterant exornata.

Præterea varijs Regum ac Principum insignibus decorata erat. Postibus enim, pedis fortasse spatio à recto, Inuictis: Cæsaris gentilitia arma affixa in medio conspiciebantur, ad dexteram Regum Philippi & Maximiliani, ad sinistram Ducis Bauariæ et eiusdem comitis à Luna insignia dependebant, quæ non parum decoris theatro inter alia afferebant. Ex aduerso huic amphitheatro erant duo postes admirabili artificio extructi, quorum vni viri effigies imposita erat, alteri mulieris. Viri imago ipsum Deum belli Martē repræsentabat. mulieris verò Deam amoris Venerem, ab hiscampus collosus Martis & Veneris dictus est. Postes erant quadrāgulares pedes octo ē terra extantes, quibus imponebantur summi artificij imagines, pedes duo de viginti procera: Hæ tanta industria erant effictæ, ut veterum Romanorum habitum repræsentarent, manibus itidem coniunctæ, Cor Diademate Imperiali ornatum complectebantur. Martis effigies Cæsareæ Maiest: Nobilissimorumq; virorum Theatrum, Veneris uerò Serenissimam Reginam ac Gynecæum intuebātur, Horum capita fertū laureum cingebat. Arcus folijs arborum vestitus extructusq; in morem portæ cooperiebatur, & ne quis corrumpere, aut saltem macula aliqua aspergeret, periuola circumponebantur. Ante hæc simulachra pons erat, de quo supra locutus sum amatorius, quem omnes qui in certamine victores euaserant, magno cum triumpho transibant. Quapropter non immerito nominari poterit colossus hic Arcus triumphalis. Ad huius dexteram partem pro Regum, Principum, ac ciuitatum legatis spectacula seorsim extructa conspiciebantur. Tanta enim erat equitum & nobilium in campo

in campo multitudo, ut mirum cuiusmodi uideri debeat, quoniam
pacto omnes locum tenere potuerint.

Quanta cum Pompa Inui-

CTISSIMVS IMPERATOR VNA

cum tota quodammodo Europe nobilitate ad

Hippomachiam spectandam processerit,

quoque ordine ipsi Agonotheae in

palæstram descenderint.



Ominico die ante festum diui Ioannis Baptistæ,
qui fuit vigesimus tertius dies Iunij, exoriente so-
le ad supradictum campū multi Principes ac Co-
mites, diuersarumq; prouinciarum procures, Au-
striæ, superioris & inferioris Styriæ, Carinthiæ,

Tyrolis, Silesiæ, Morauiae, Bohemiæ, & Vngariæ nobilitas effu-
so quodam & maximo comitatu confluerat, locum sibi commo-
dum delectura, ex quo equis decurrentes cōmodè videre possent.
Eodem die circiter duodecimam Augustissimus Imperator Fer-
dinandus &c. Serenissimus Rex & Regina &c. vnà cum Illu-
strissimo, potentissimoq; Bauariæ Duce Alberto &c. cæterisq; fi-
lijs & filiabus auro, argento, gemmisq; preciosis refulgentibus
Theatrum progrediuntur, Cæsarem præcedebat ingens nobilitas
nempè Duces, Marchiones, Comites, Barones &c. cuius penè in-
finitus erat numerus. Præterea etiā incredibilem inestimabilemq;
vestium ornatū, quibus inter se uinci impatientes Germani, no-
bilissimi Burgundiones, pompæ dediti Hispani, magnifici Itali,
rei militaris peritissimi Vngari, Bohemi indomiti, Austriaci, Ba-
uariq; opulenti magnificentissimis sumptibus certarint. Cū au-
tem Cæs: Maiestas in theatro consedisset, in campū prodeunt tre-
decim lusores equis insidentes lituos more Hispanico inflabant, à
planta ad verticem candido damasceno induti. Subsequebantur
moriones